

RITUS RECONCILIANDI

ECCLESIAM VIOLATAM, SI NONDUM ERAT AB EPISCOPO CONSECRATA.

TITULUS QUADRAGESIMUS SEPTIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Ecclesia proprie neque violatur, neque polluitur.
- 2 Ecclesia quando communiter habeatur pro polluta, et violata.
- 3 Ecclesia polluta reconciliatur ad Fidelium exemplum.
- 4 Ecclesia polluta non amittit privilegium immunitatis.
- 5 An sub nomine Pollutionis comprehendatur Violatio.
- 6 Pollutio lato modo dicitur etiam Violatio.
- 7 Violatio latius patet, quam pollutio.
- 8 Omnis pollutio Ecclesiae est Violatio.
- 9 Violare proprie quid sit?
- 10 Non omnis Violatio indiget Reconciliatione.
- 11 Violatio, et pollutio quid sint?
- 12 Pollutio Ecclesiam non destruit, sed maculat.
- 13 Reconciliare quid importet?
- 14 Reconciliatio in opinione hominum fit.
- 15 Ecclesia quod modis polluatur?
- 16 Ut Ecclesia polluatur delicta debent esse publica.
- 17 Procurans Abortum in Ecclesia sine vi non polluit Ecclesiam.
- 18 Reconciliatio est unicum remedium Pollutionis.
- 19 Sacerdos celebrans bona Fide in Ecclesia polluta non reconciliat Ecclesiam.
- 20 Ecclesia consecrata non nisi ab Episcopo reconciliari potest.
- 21 Si Ecclesia sit Benedicta, delegari potest Reconciliatio simplici Sacerdoti.
- 22 Quare Episcopus committere non possit Reconciliationem Ecclesiae jam consecratae simplici Sacerdoti.
- 23 Reconciliatio Ecclesiae pollutae jam consecratae est de iuribus Episcopalibus.
- 24 Reconciliatio Ecclesiae consecratae differt a reconciliatione Ecclesiae benedictae.
- 25 Benedictio facit de non Sacro Sacrum.
- 26 Reconciliatio facit de immundo mundum.
- 27 Causa finalis Reconciliationis, et Benedictio eadem est.
- 28 Reconciliatio universalis Ecclesiarum facta anno 1083.
- 29 Reconciliatio prima particularis facta anno 1172.
- 30 Delegatio Sacerdotis est facienda in scriptis.
- 31 Instrumentum publicum super hoc faciendum.
- 32 Facultas reconciliandi est de convenientia impetranda.
- 33 Altaria Ecclesiae pollutae denudari debent, et quare?
- 34 Omnia amovibilia removenda sunt ab Ecclesia.

- 35 Cautela adhibenda in aedificatione Ecclesiarum.
- 36 Aqua consueta lustralis adhibetur in hac reconciliatione.
- 37 Episcopus utitur Aqua diversa ab hac.
- 38 Opinio contraria Doctorum.
- 39 Aspergillum debet esse ex herba Hyssopo.
- 40 Vestes eadem adhibendae, quae adhibentur in Benedictione Ecclesiae.
- 41 Coemeterium cum Ecclesia benedici potest.
- 42 Quando Coemeterium sit contiguum Ecclesiae.
- 43 Polluta Ecclesia, polluitur Coemeterium contiguum.
- 44 Major pars trahit ad se minorem.
- 45 Accessorii, et Principalis idem est Judicium.
- 46 Reconciliatio Ecclesiae, et coemeterii fit uno, et eodem tempore.
- 47 Coemeterium si solum pollutum sit, reconciliatur de per se.
- 48 Una eademque Benedictio utrumque locum reconciliat.
- 49 Parietes Ecclesiae sunt aspergendi.
- 50 Coemeteria asperguntur solum in terra.
- 51 Loca contaminata aspergenda specialiter, et signanda linea nigra.
- 52 Reconciliatio Ecclesiae Ferrariensis facta anno 1693. ab Episcopo Comacensi.
- 53 Si Ecclesia polluta fuerit per sepulturam excommunicati, Cadaver illius primo exhumandum est, si commode fieri possit.
- 54 Antiquitas redebantur Parietes, et tigna.
- 55 Nomen Sancti Titularis in Litanis non exprimitur. et quare?
- 56 Cum Ecclesia in Benedictione nominatur Altare, et Coemeterium,
- 57 Quare Antiphona tam longa repetatur in hac Benedictione?
- 58 Psalmus 67. explicatur.
- 59 Antiphonae significatio.
- 60 Facultas reconciliandi Ecclesiam jam consecratam non potest tradi simplici Sacerdoti.
- 61 Summus Pontifex potest tradere hanc facultatem.
- 62 Aqua in hoc casu debet esse ab Episcopo benedicta. et Vino mixta.

1 2 3 4 Zelus Domus Dei id postulat rationabiliter, ut nullo intermedio tempore, á cultu Divino in illo tam Sancto loco habeatur cessario; nam etsi pro rei veritate, Ecclesia neque foedetur, neque polluatur, cum enim Sancta sit, coinquinari, nequit, *c. vestra, de cohabit. Cleric. Barbos. de pot. Episc. alleg. 28. num. 20.* attamen talis communiter habetur, quando talia delicta in ea parata sunt, quae eam enormiter laecerint: unde tamquam polluta reconciliatur propter scandalum et ad fidelium exemplum, et terrorem: divina enim ibi celebrari non possunt, donec reconcilietur, atque ideo nuda, et destituta manet, licet privilegium Ecclesiasticae immunitatis non amittat, ut docet Passerinus *de pollut. Ecc. disp. 2. cap. 22. num. 1.* quia Pollutio non debet plus operari, quam Canones praescribant, Suarez *de Relig. tom. 1. t. 2. l. 3. c. 9. n. 6.*

5 6 7 8 Sed Textus noster loquitur de Violatione, non autem de Pollutione Ecclesiae, et propterea quaerendum est hic, an sub nomine Violationis comprehendatur quoque pollutio. Circa quod Passerinus *d. disp. 1. c. 3. n. 1.* advertit passim ab Authoribus, Ecclesiae pollutionem dici etiam Violationem, ut videre est apud Plaer. *de Censura Interdicti, disp. 3.*

et alios a Passerin. ibi adductos. Violare enim est offendere. *Can. si quis hominem* 11. q. 3. et pariter polluere est idem significans; ut ex allegandis. Nihilominus apud alios Authores violare Ecclesiam, et polluere, valde diversa sunt: unde aliquando per illos Ecclesia violari potest, non autem pollui, Richard. *in 4. dist.* 18. *art.* 12, *quaest.* 2. et alii apud Passerin. *d. l. n.* 2. Hoc tamen non obstante, tenendum est cum eodem Passerin. omnem pollutionem Ecclesiae. esse violationem ejusdem.

10 11 Cum vero Violatio latius pateat, quam Pollutio, videtur, quo Textus loquatur de generica violatione dum dicit: *Ritus reconciliandi Ecclesiam violatam*: attamen cum non omnis violatio requirat reconciliationem, ut late docet Passerin. *ibid num.* 2. et e contra quaecumque Pollutio non aliter reparatur, nisi per novam reconciliationem, et Rituale loquatur de *Reconciliatione*, videtur, quod sub nomine Violationis lato modo dictae intelligi debeat Pollutio, quae nihil aliud est, quam moralis maculatio Ecclesiae, propter quam ibidem divinae laudis organa suspenduntur, donec per reconciliationem provisum sit.

12 13 Quapropter cum Pollutio Ecclesiam non destruat, sed tantum quodammodo maculet tam Consecrationem, quam Benedictionem loci Sacri, ideo institutum est, ut non de novo consecratur, seu de novo benedicatur, sed ut statuto Ritu, et precibus, reconcilietur Ecclesia. Reconciliare enim importat in gratiam restituere, et in concordiam reducere; quae gratia, et concordia non demortuae, aut destructae erant, sed mortificatae, et deturpatae: unde fit, quod, media reconciliatione, gratia, et concordia reviviscant, atque restituantur.

14 Ista vero reviviscentia, seu ista restitutio, in hominum opinione fit, sicuti in opinione dicitur Ecclesia polluta, ex eo praesertim, quod committens talem actionem pollutivam, fecit quoad se quandum potuit, ut Ecclesiae honorem macularet, et pollueret, si Ecclesia pollutionis capax esset. Sic clare haberi dicit Passerin. *dict. disp.* 1. c. 7. *num.* 4, ex *Text. in cap. quidam* 1. *quaest.* 1. ubi ratio redditur, cur Sacramenta quidam polluere dicantur, cum tamen illa impolluta permanent.

De Violatione itaque Ecclesiarum sub nomine Pollutionis loquendo, dicam pollui Ecclesiam pluribus modis relatis á Barbos. *de Jur. Eccles. Univ.* l. 2. c. 4. á n. 16. ad 25. et a Monacell. *d. t.* 1. *tit.* 6. *for.* 10. n. 27.

- 15 1 *Effusione magna sanguinis injuriosa ex violentia illata in ipsa Ecclesia.*
2 *Seminis humani publica, voluntaria effusione illicita, sive per copulam Conjugalem.*

- 3 *Sepultura Cadaverum Haereticorum, Infidelium, et excommunicatorum.*
4 *Si Ecclesia reconcilietur per Episcopum publice excommunicatum.*
5 *Occisione Hominis in ipsa Ecclesia, quamvis sanguis non effundatur, puta, quia laqueo suspensus, vel suffocatus fuit.*

16 17 Verum advertendum est, quod ad hoc ut Ecclesia dicatur polluta, et reconciliari indigeat, necesse est, quod superenarrata delicta sint publica, Piasec. *Prax. Episc.* p. 1. c. 2. *art.* 4. *num.* 8. Unde procurans abortum in Ecclesia absque externa vi, non polluit Ecclesiam, etiam si Foetus sit animatus, atque media tendant directe ad ipsum abjiciendum, Pasqualig. *de Sacr. Nov. Leg. T. g.* 544. *num.* 4. atque ex hoc magis convalidatur sententia illorum, qui asserunt, Ecclesiam dici pollutam propter scandalum, et ad Fidelium terrorem atque exemplum. Insuper necesse est ut talis actus pollutivus fiat in ipsa Ecclesia: nam acta peccaminosa patrata in Sacristia, in Atrio, seu in Campanali Ecclesiae, non polluunt illam, ut docet Barbos. *l. c. n.* 26. Nicol. *lucubr. Can.* l. 5. n. 39 *de pollut. Eccles.* n. 252. *limit.* 3.

18 19 Cui pollutioni, seu Violationi unicum remedium statuit Ecclesia per Reconciliationem praescriptis Ritibus, et Precibus faciendam eo modo, de quo infra dicemus. Dixi unicum remedium, reprobando cum Nicolio *Flosc. verb. Ecclesia*, *num.* 29. id quod a Diana, *v. tr.* 13. *Res.* 60. exhibetur, nempe posse remanere reconciliatam Ecclesiam, si bona fide, Sacerdos in illa jam polluta celebret. Sacrificium enim Missae licet suumum, et sanctissimum sit, attamen non habet extensionem ad sanctificandum locum: aliter quaecumque loca, ubi erigi possunt Altaria, etiam extemporanea, et pro interim, remanerent Sacra, et immunia.

20 21 22 Titulus hujus rubricae non inutiliter subdit illa verba: *Si nondum fuerit ab Episcopo consecrata*, quia cum in Rituali agatur de functionibus peragendis a simplici Sacerdote, sciendum est, Ecclesiam consecratam a nullo alio reconciliari posse, nisi ab homine in Episcopali dignitate constituto. Unde statim ac aliqua Ecclesia, vel Oratorium remanet pollutum, quaerendum est, an de Consecratione constet, vel de Benedictione. Si utique Consecratio apparet, vel probatur (non enim praesumitur nisi in Cathedralibus, ut supra dictum est) nonnisi Episcopus loci, seu de ejus delegatione alius pariter Episcopus, eam Ecclesiam reconciliandi onus subire debet, nec laborem sibi fingere in praecepto, etiamsi distans, et longinqua sit, atque in inaccessis, et inviis montibus posita. Si vero tantum de Benedictione constet, tunc delegari

potest simplex Sacerdos, ut locum reconciliet; ita traditur expresse in *c. Aqua, et in c. proposuisti, de consecr. c. si Ecclesia, cum glos. verb. lavetur, de consecr. Eccl.* Barbos. *de potest. Ep. alleg. 29. nu. 55. 56. 57.* Ratio vero cur Episcopus delegare non possit simplici Sacerdoti Benedictionem Ecclesiae Consecratae, etiamsi in contrarium esset consuetudo (quae potius corruptela dici potest) est, quia, licet Episcopus committere valeat ea, quae ad jurisdictionem spectant, attamen quae sunt Ordinis Episcopalis non potest inferioris gradus Clericis demandare, ut censuit *S. R. C. in Cameracensi 9. Febr. 1608.* et alii apud Barbos. *d. l. n. 56.*

23 24 Quod vero Reconciliatio Ecclesiae pollutae jam Consecratae, sit de juribus ordinis Episcopalis, probatur ex eo, quia in consecratione adhibetur Sacrum Chrisma, et ista Unctio non nisi ab Episcopo fieri potest. Cum vero Reconciliatio loci consecrati sit restitutio ejusdem loci, licet Oleum amplius non adhibeatur, attamen haberi debet respectus ad altitudinem et gravitatem primae consecrationis; qui enim primum characterem impressit, illum restituere unice potest, sive saltem ad pristinum decorem revocare. Ultra quam quod reconciliatio Ecclesiae consecratae difert a reconciliatione Ecclesiae simpliciter benedictae, et habet Aquam aspergendam, particulari ritu benedictam, quae in reconciliatione loci benedicti a simplici Sacerdote non adhibetur, ut infra dicemus, Passerinus vero *disput. 2. cap. 1. num. 5.* aliter sentit, et delegationem hanc tribuit convenientiae.

§. I. Ecclesiae violatae Reconciliatio per Sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat hoc modo, etc.

25 26 27 Quae de Origine Consecrationis, seu Benedictionis Ecclesiae in antecedenti Titulo diximus, applicari possunt huic loco; nam sicut Benedictio facit de non Sacro Sacrum, ita Reconciliatio facit de immundo mundum: et causa finalis tam Benedictiones, quam Reconciliationis eadem dici potest. Igitur antiquitus cum primum locus sacer violatus, seu pollutus fuerat, nihil magis in votis habebatur, et aptus fieret ad sacra ibi habenda.

28 29 Restauratio, et una simul Reconciliatio pene universalis omnium Ecclesiarum per Orbem Christianum facta fuit anno 1003. ex dictis Baronii ad illum Annum, *nu. 10.* ob suspicionem jam abolitam venturi Antichristi in illis temporibus: quare omnia fere Tempa et loca Sacra remansere seu polluta, seu violata. Sed de praecipua Ecclesiae unius Recon-

ciliatione clarius, et ad rem nostram convenientius loquitur idem Baronius sub anno 1172. Tunc enim polluta Ecclesia Cantuariensi, ex sanguine Thomae Archiepiscopi, Alexander Papa III. decrevit illius Reconciliationem, seu expiationem, scribens Concilio Nothmanniae: *Mandamus vobis quatenus Ecclesiam Cantuariensem reconciliari faciatis; ita tamen, ut Sacramentum pristinae dedicationis non debeat iterari: Sed sicut solet fieri, in Ecclesia B. Petri, tantum Aqua benedicta aspergatur.* Et quamvis Legati Concilii ad Ministros Ecclesiae Cantuariensis diversimode scripserint, nempe ut denuo consecrarent Ecclesiam, ista nova consecratio lato modo sumenda est pro Reconciliatione, nam satis clare loquitur Pontifex, quod non debeat iterari Unctio, sed adhiberi tantum Aqua benedicta. Quem ritum sequendum statuit Ecclesia in praesenti Titulo, et saltem usque de anno 1172. est in robore, et observantia apud omnes Ecclesias.

30 Delegatio Sacerdotis non est tantum facienda per verbalem substitutionem, vel oretenus, sed opus est, ut in scriptis cum subscriptione Episcopi habeatur; cum enim facile haberi possit nullitatis vitium ob deficientiam alicujus, seu clausulae, seu dictionii, ideo scripta apparere debet ad hoc ut cancellarius, describens actum reconciliationis, incipiat a facultate delegantis, et delegati, et conficiat publicum Instrumentum, quod in Archivio Episcopali ad perpetuam rei memoriam registrari debet.

31 32 Nonnulli tamen Authores volunt, non esse necessariam licentiam Episcopi ad reconciliandam Ecclesiam non consecratam, quos affert Pasqualig. *T. 1. q. 604.* Sed rem mature perpendendo, concludit idem Doctor, quod cum tractetur de Ecclesia subjecta, rationabiliter Episcopus potest velle cognoscere, quid circa ipsam fiat; atque ideo saltem de convenientia esse impetrandam facultatem talis Reconciliationis praesertim pro Ecclesiis Regularium.

§. II. Altare Ecclesiae omnino nudetur, provideaturque, ut Ecclesia possit libere circumiri tam exterius quam interius, si fieri potest.

33 34 35 Ista denudatio fit non tantum ob horrorem inferendum Fidelibus, sed ob commoditatem Benedicentis, qui totam Ecclesiam exterius, interiusque circuire debet, aspergendo processionaliter. Quapropter omnia, et singula amovibilia, quae obstare possunt, amovenda sunt, tum intra, tum extra, nullo habito respectu ad aedificii, seu rei amovendae nobilita-

tem; neque labori, aut expensis parcendum est pro murorum factura, ut liber, et commodus habeatur transitus praecipue in parte exteriori. Hinc caveant qui aedificare volunt habitacula contigua alicui Ecclesiae, ne aditum obstruant, quia semper indato casu exponuntur ruinae, et demolitioni.

§. III. Paretur Vasculum cum Aqua benedicta, et Aspergillum de herba Hyssopo factum, etc.

36 37 38 Sufficit, ut sit Aqua benedictione communi benedicta, quia is qui benedicit, est simplex Sacerdos: Si vero esset Episcopus, deberetesse Aqua alia benedictione, et rita sanctificata ab eodem Episcopo. Oppositam tamen sententiam tenet Tolet. l. 5. *Summ. cap. 8. num. 13.* Pax Jordan. T. 1. *Lucub. l. 5. t. 12. num. 160.* qui volunt, quod Aqua, cum qua reconciliatur Ecclesia, licet tantum benedicta, debeat ab Episcopo benedici. Verum Pasqualig. d. T. 1. *quaest. 605, num. 2.* tenendum docet cum communi, et vera sententia, quod non sit necessarium benedici ab Episcopo Aquam, cum qua Ecclesia polluta reconcilianda sit: Et si Episcopus illam benedicat, non benedicit tamquam Episcopus, sed tamquam Sacerdos, et communi modo. Vide Pasqualig. fusius.

39 De Aspergillo ex herba Hyssopo composito jam diximus quod satis visum fuit in explicatione antecedentis Tituli, ad §, 2.

§. IV, Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albo, adhibitis aliquod Sacerdotibus et Clericis, procedit ad primariam Ecclesiae portam, ubi stans, Antiphonam incipit dicens, Clero presequente, *Asperges me, etc.* Psal. *Miserere, etc.* totum cum *Gloria Patri, etc.*

40 Singula, quae in hoc Paragrapho exponuntur, explicata sunt in antecedenti Tit. §. 1, et sicuti idem est ritus servandus ac in eo loco, ita ea omnia ad locum hunc remittenda sunt.

§. V. Quo finito, Antiphona repetitur: Interim dum Antiphona, et Psalmus dicuntur, Sacerdos cum Aqua benedicta aspergit in circuitu extrinsecus Ecclesiam et Coe-

meterium, simul aspergendo alternatim ad parietes Ecclesiae, ac ad terram Coemeterii, praesertim ad loca contaminata. Quo facto, redit ad locum, ubi incoepit aspergere, et stant dicit: *Oremus, etc.*

41 Prima pars hujus Paragraphi jam explicata fuit in antecedenti Tit. *de Benedictione novae Ecclesiae.* Ritus enim circa hoc est fere idem. ideoque nova explicatione non indiget. Unum noviter additur hic de Coemeterio simul cum Ecclesia benedicens, circa quod nonnulla dicemus notatu digna mox dicturi tunc cum de novi Coemeterii Benedictione, seu reconciliatione sermo erit.

42 43 44 45 In casu nostri Textus supponitur, Coemeterium esse Ecclesiae contiguum, ita ut tangat Ecclesiae parietem, et nullo medio separetur: contigua enim sunt, quorum extrema se contingunt; *glos. V. Contigua, in c. si civitas, de sent. excom. in 6.* quo dato, firmum stat quod polluta Ecclesia, coemeterium quoque polluat, non vero e contra; ut communiter omnes DD, *ex. de cap. Unico, de consecr. Eccles. in 6,* quia major, et nobilior pars trahit ad se minorem, et ignoviliorem, non autem haec illam, Passerint: *d. disp. 2. cap. 36. num. 5. et c. 27. num. 4.* Accessorii enim, et principales idem est iudicium, *cap. accessorium. de Reg. jur in 6.*

46 47 Supposito igitur, quod una simul cum Ecclesia pollutum sit Coemeterium ob contignitatem, indiget, ut reconcilietur, quod sit uno, et eodem tempore, quo Ecclesia reconciliatur. Secus vero est, si Coemeterium solummodo pollutum sit. etiamsi contiguum Ecclesiae, quia in hoc casu, sicut ipsum polluitur, ita idem tantummodo reconciliatur, sed ritibus, et precibus diversis, et a Rituali nostro separatim assignatis in fine Benedictionum, ut suo loco videvimus ad *Titulum. LXXV.*

48 Quod vero una, et eadem Benedictio utrumque locum reconciliet, clare patet ex verbis textus, dum dicit: *Aspergendo alternatim ad parietes Ecclesiae, ac ad terram Coemeterii.* Nam Coemeteria, et Ecclesiae fere pari passu ambulant quoad Consecrationem, vel Benedictionem, sacrilegium, immunitatem, interdictum, pollutionem, violationem, et reconciliationem, ut expresse docent Piasec. *Prae. Episc. p. 1. c. 5. n. 6.* Fusc. *de Visit. l. 1. c. 12. num. 7. et 8.* Barbos. *de pot. Ep. et alii apud Passerin. l. c. 46. n. 5. et c. 47. n. 1.* Cum vero ista aspersio sit expiativa maculae, et offensionis a locis Sacris receptae, ad utraque loca est vibranda, ut ambo purificentur atque expientur eodem instrumento, non minus quam eodem ritu.

49 Parietes itaque Ecclesiae sunt aspergendi, quia isti in se continent, et formant locum Sacrum. Imo ex Passerin. *disp. 2. cap. 50. n. 3.* rationem regiae cujusdam domus habent, atque ideo non tantum solo, sed lateralibus quoque parietibus, et tecto ipso, ut perfectae sint, Ecclesiae constare debent.

50 Coemeteria vero non asperguntur nisi in terra, quia solo tantum opus habent, nec indigent laterali muro, cum ad usum unice fiant sepeliendi, et locus iste sacer tantummodo sit a terra ad summum Caelum, ut expresse docet Samuel. *dict. tract. 1. controv. 4. num. 3.* et colligitur *ex l. si vitem, §. penultim. ff. quod vi et clam.*

51 52 Specialiter vere aspergenda sunt loca contaminata pro quocumque pollutionum actu ex quinque super enunciatis *num. 15. hujus Tituli:* quod ut facilius, et comodius fieri contingat, in praxi vidi, signari atra linea locum contaminatum intra Ecclesiam, ad hoc ut promptius innotesceret Benedicenti, et Ministris comitantibus, neque pedum deleretur conculcatione. Quod feliciter factum fuit anno 1693. hic Ferrariae, tunc cum polluta per injuriosam sanguinis effusionem Ecclesia Cathedrali. sede Episcopali vacante per obitum S. M. Card. Cerri Episcopi. delegatus fuit ad illius Reconciliationem Nicolaus de Arcano Episcopus Comaclensis. qui opus hoc assumpsit ac sante peregit die tertia mensis Julii ejusdem Anni, ut fusi habetur in mea *Ferrariensi Historia l. 8. pag. 428.* Hac occasione (cuncta disponente Antonio Francisco Montano Sacrarum Caeremoniarum Magistro) loca a sanguine contaminata nigris lineis signata, et interclusa fuere, ad hoc ut faciliter innotescerent, atque aspergerentur, subindeque debitis modis abstergerentur. Sed haec fuit Reconciliatio facta ab Episcopo in Ecclesiae jam consecrata; nos vero cum Rituali de Reconciliatione a Sacerdote ex delegatione facienda loquimur, data occasione de aspergendis locis praecipue contaminatis, super quibus major, et signata aspersio fieri oportet, eo quia per illam contaminationem praecise polluta remansit Ecclesia; ergo conveniens est, ut circa illa particularis habeatur aspersio, quae locum illum praecise purget, ubi operatio diabolici inimici apparet per peccatum idi commissum, Quart. *dict. num. 155.*

53 54 Advertendum est hic, quod si Ecclesia remanserit polluta per sepulturam Infidelis, seu excommunicati, antequam deveniatur ad Reconciliationem, eorum corpora extrahenda, seu exhumanda sunt quando a caeteris disserni possint: secus autem quando distingui nequeant, ut declaratur in *c. Sacris, de sepulturis, Pasqualig. T. I. q. 614, n. 1.* Regula tamen hujus pollutionis per Cadaver excommunicati, non verificatur tunc, cum absolutus ad reincidentiam, si reincidat, in Ecclesia sepeliatur, Pasqualig. *d. q. 581. n. 1.* Ubi nota, quod nec pa-

rietes, nec tigna radenda sunt, prout antiquitus ordinabatur quando sepulturae Infidelium erant frequentes.

Cum expleverit circuitionem Ecclesiae Sacerdos, ad pristinum locum se sistit, et novas inchoat Preces, et Caeremonias, at infra.

§. VI. Deinde Sacerdos incipit Litanias, et ingreditur Ecclesiam cum Clero, cantando eas, acceditque ante Altare majus, coram quo genuflectit: Cumque dictum fuerit: *Ut omnibus fidelibus, etc.* Sacerdos surgit, at clara voce dicit: *Ut hanc Ecclesiam, et Altare hoc, et Coemeterium purgare, et reconciliare digneris, etc.*

Quoad Litanias, et ingressum Ecclesiae idem est Ritus, ac in Benedictione novae Ecclesiae ideoque cum in proprio Titulo dictum sit ad sufficientiam circa hunc Ritus, nihil hic restat dicendum.

55 Unice advertendum est, Sanctum Ecclesiae titolarem in hac deprecatione: *ut hanc Ecclesiam, etc.* non exprimi, eo quia licet Ecclesia polluta remanserit, non tamen fuit exaugurata, nec ablatum fuit Patrocinium, imo nec Titulus talis Sancti, sed eodem nomine ac prius appellanda est: nulla enim mutatio tituli fit; atque ideo nulla facienda est mentio Sancti titularis illius. Ulterius una cum Ecclesia, nominatur in hac deprecatione Altare, et Coemeterium eo quia unum, et idem faciunt, si Coemeterium adsit: si vero non adsit, necessario Altare aliquod existere debet in Ecclesia, cum ad hoc ad aedificentur Ecclesiae, ut illis divinum Sacrificium offeratur, Quart. *d. n. 158.* atque cum pollutum sit quoque hoc cum ipsa Ecclesia; consequenter debet reconciliari, et purgari a labe contracta peccatum ibi commissum, in quo apparet aliqua operatio Inimici, ut docet S. Th. *3. p. q. 83. a. 3.*

§. VII. Quibus dictis, rursus genuflectit, et Litaniae perficiuntur. Quibus finitis, Sacerdos versus ad dictum Altare, dicit: *Oremus,* et Ministri: *Flectamus genua. R. Levate.*

§. VIII. Deinde sacerdos genuflectit ante Altare, et signo Crucis se muniens, clara voce dicit: *Deus in adjuto-*

rium, etc. tum surgit, et Chorus, seu astantes Clerici respondent *Domine ad adjuvandum, etc.* Et Sacerdos stans, dicit; *Gloria, etc.*

Circa hos duos Paragraphos vide quae dicta sunt in §. 85. §. 10. antecedentis Tituli.

§. IX. Quo dicto, Sacerdos inchoat, Clero prosequente, Antiphonam, *Exurgat, etc.* Psalmus: *In Ecclesia, etc.* Repetitur Antiphona: *Ibi Benjamin, etc.* Et sequentia.

57 Apposite fit ista longa repetitio Antiphonae, interpositis. Versiculis Psalmi, ut eo tempore compleatur interna aspersio, et sufficiat ad praestandam materiam canendi in illo intervallo aspersionis.

58 Psalmus est 67, in ordine Psalterii, et inchoatur per versiculum primum, qui pro Antiphona intercalari inseruit. Sed non totus iste Psalmus cantatur. A versiculo primo *Exurgat, etc.* fit saltus ad Versiculum 28. *In Ecclesiis, etc.* qui est quasi parenthesis, qua David praevidens futuram laetitiam Principum Ecclesiae, hortatur eos, ut in Ecclesiis, quas fundaturi erant, pergant benedicere Domino Deo, materiam laudis de fontibus Israel haurientes, Bellarm. in *Psal.* 67. *vers.* 28.

59 Per verba illa Antiphonae *Dissipentur Inimici ejus, etc.* fit exorcizatio, et mundatio loci, ut ita expellatur virtus inimici. Ex quod infert Quart. *d. l.* in materialibus consecrationibus, benedictionibus, et reconciliationibus fieri exorcismos; atque hoc magis confirmatur ex eo, quod in fine Psalmi, et repetitionis Antiphonae, non dicitur *Gloria Patri, etc.* de more exorcismorum.

§. X. Interim dum Antiphona, et Psalmi praedicti dicuntur, Sacerdos circuit Ecclesiam intrinsecus aspergendo, aspergit etiam specialiter loca contaminata: quo facto, stans in Presbyterio versus ad Altare, dicit: *Deus qui, etc.*

§. XI. Deinde dicitur Missa de die occurrenti.

Haec omnia explicata fuerunt in antecedenti Titulo, §§. 11. et 12.

§. XII. Simplex Sacerdos, tantum ex privilegio Sedis Apostolicae, potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare: Et tunc utatur ritu in Pontificali descripto: procedatque indutus amictu, alba, singulo, stola et pluviali albi coloris, adhibitis secum aliis Presbyteris et Clericis, superpelliceis indutis, cum Aqua ab Episcopo ad hunc usum rite benedicta.

60 61 In principio hujus tituli, diximus Ecclesiam pollutam, sed jam consecratam, non posse reconciliari nisi per proprium Episcopum, vel alium, de ipsius licentia, dummodo, et ipse Episcopi characterem refulgeat: unde infertur, Episcopos hujusmodi facultatem tradere non posse simplici Sacerdoti *c. Aqua, c. proposuisti de consecr. Ecclesiae.* Summum Pontificem vero id posse, resolvit Miranda *Manuel. Praelat. q. 29. art. 8. concl. 2.* Ugolin. §. 2. n. 8. Barbos. *de pot. Ep. p. 2. alleg. 29. num. 56.* ubi addit, id posse, ex quo de jure positivo est; et omnium, quae juris positivi sunt, plenam habere potestatem. Id etiam tenet Mar. Alter *disp. 3. c. 4.* Quare *S. R. C. in Gallicensi 24. Septemb. 1605.* concessit Vicario generali licentiam reconciliandi Ecclesiam pollutam, attenta absentia Episcopi, *Et in Rothomagensi 13. Julii 1601.* eandem facultatem concessit cuidam Abbati in dignitate Ecclesiastica constituto. Quare ex istis duabus resolutionibus apparet non omnino verificata propositio universaliter pronunciata a praefatis Doctoribus circa Sacerdotis simplicitatem, cui potest tradi a Papa haec facultas; nam videmus in praxi per dictas Resurrectiones *S. R. C.* hanc delegationem factam fuisse non simplicibus Sacerdotibus, sed in aliquo vel gradu vel ministerio, vel dignitate constitutis, nempe Vicario Generali, et Abbati.

62 Aqua tamen, qua aspergenda est Ecclesia polluta jam consecrata, a quocumque reconcilietur, semper esse debet prius per Episcopum aliquem benedicta, vino admixta, et sine-ri, cum verbis, et ad formam, quae habetur in Pontificali Romano. Sed cum haec spectent ad Rubricas Pontificalis Romani, non autem Ritualis, non sunt hic exponenda. Quaecumque vero in hac Reconciliationis materia desiderari possunt, habebis in opere lucubratissimo Patri Francisci Passerini, ins-